

580

DE BELLO AFRICO

sus esset e castris circiter millia passuum tria, per speculatores, et antecessores equites nuntiatur ei copias hostium haud longe a sese uisas, et hercle cum eo nuntio puluis ingens conspici coeptus est. Hac re cognita, Caesar celeriter iubet equitatum uniuersum, cuius copiam habuit in presentia non magnam, et sagittarios, quorum paruus e castris secum exierat numerus, accersi, atque ordinari, signa se leniter consequi, ipse antecedere cum paucis armatis. Iamque cum procul hostis conspici posset, milites in campo iubet galeari, et ad pugnam parari, quorum omnino numerus fuit xxx. cohortium cum equitibus cccc. et sagittarijs. Et hostes interim, quorum dux erat Labienus, et duo Pacidij aciem dirigunt mirabili longitudine non peditem, sed equitum confertam, et inter eos leuis armaturae Numidas, et sagittarios pedites interposuerant, et ita condensauerant, ut procul Caesariani pedestres copias arbitrarentur, et dextrum ac sinistrum cornu magnis equitum copijs firmauerant. Interim Caesar aciem dirigit simplicem, ut poterat, propter paucitatem, sagittarios ante aciem constituit, equites dextro, sinistroque cornu opponit, et ita praecipit, ut providebant, ne multitudine equitatus hostium circumuenirentur. Existimabat enim se cum pedestribus copijs acie instructa dimicaturum, cum utrinque expectatio fieret, neque Caesar se remoueret, et cum suorum paucitate contra magnam uim hostium artificio magis, quam